

His infortunatis radijs si Mercuriales quoque accesserint, natus distrahetur, ac cruciabitur damnis grauibus, ac turpibus caulis, ac succumbet in disceptationibus, litigationibus, & actionibus forenlibus, cum grauissimis malis suis, maximisque damnis ac impedimentis.

Si tamen ad hos maleficarum positus, intuitus, ac radiorum concursus in praedicto termino Iupiter clementissimus respexerit, haec mala uel euanescent, uel discutientur, ac sedabuntur reconciliatis cum nato malignis aduersarijs.

Quod si Luna eodem aspexerit, decernet nato nuptias cum aliqua ex suis affinis, aut coniugem formosam quidem, sed degenerem, ex qua tamen magnas ac solidas percipiet animo uoluptates.

Verum in quacunque genesi Venus proiecerit radios suos ad terminum Martis, dum is fuerit diuisor, aut Mars e contra in terminum Veneris, quando eadem extiterit diuisionis domina, praesertim si in radice natiuitatis hisce stellis aliqua inter ipsas intercesserit commixtio, natus praeposteris ac illicitis amoris affectibus, ac fornicatione ardebit, nefarijsque ac uagis libidinibus. Nunquam enim casta est Venus, Martisque copulatio, uel commixtio, sed de Veneris termini diuisionis dominium obtinentis significationibus & commixtionibus cum reliquis stellis erraticis satis dictum esse puto.

Restat nobis Mercurius, qui si diuisoris autoritatem & prouinciam consecutus fuerit ab aliorum erraticorum syderum commixtione separatus, bonoque in loco positus, nati ingenium ac iudicium auget, augebitque eius intellectum, magnaque etiam suppeditabit lucra per literas, & negocia, in quorum tractatione, & explicatione eo tempore natus uersabitur.

Quod si diuisore hoc ita constituto, Iupiter uel ipse dominus Mercurius terminum diuisionis aspexerit, magna nato decernentur ac sublimia dignitatis insignia, quibus ornabitur propter facundiam singularem & praestantem doctrinam, quibus multis praefertur cum summo honore ac decore.

Si uero Martiales radij ad eundem terminum sese extenderint altera infortunante stella in communi signo cum eo existente, incidet forte natus in manus hostiles, aut uulneribus afficietur grauibus, aut incendiorum pericula, & detrimenta eo tempore sentiet, aut epilepsia corripietur. Magicis etiam, aut Necromanticis artibus sese inuoluet, diabolicisque uexabitur praestigijs. Qui quidem Mars, si una cum domino termini Mercurio quadratis, oppositisue radijs eum locum pulsauerit hostiliterque inuaserit oppugnaueritque, grauissima ualitudinis impedimenta, aut damnosas contentiones, ac lites nato minabitur. Eruntque nati cupiditates & affectus hoc tempore turpes nefarij & impij.

Vniuersaliter autem siue in genere, sciendum est Diuisorem seu dominum termini potissimum significare, quibus magisterijs siue artibus natus ingenium & animum suum sit applicaturus. Idem significat in genere de facultatibus seu substantia nati, diues uidelicet futurus ne sit natus an pauper. Quibus in partibus dominus quoque anni ex parte signi applicationis sua sibi iura, potestatem, & significata uendicat in statu nati determinando. Aliquantum tamen est potentior dominus anni diuisore &c.

CAPVT SEXTVM.

De generibus progressionibus, uel directionibus.

Aphorismi iuxta Arabum & aliorum sententiam.

Gg ij

Qui